



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Paschalis Antiphonae Paraphrasis Ad Rel. V. D. J. B. Pellot Cartusianum.  
Ode IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Fratris nomen juncture marito ,  
 Sponsæ nomen juncture sorori ;  
 Lecti dissocians fœdere conjuges ,  
 Leti consocians munere virgines.  
 At vos , Cæciliæ dicata cultu  
 Turma præcipuo , boni sodales ;  
 Ne sinite præterire tam lætum diem.  
 Date flores , nectite ferta ,  
 Ferte faces , urite tura.  
 Agite , quatite cymbala tinnula ,  
 Jungite lenibus organa tibiis ,  
 Argutæ fidibus sibilata tibiæ ,  
 Alterno repetât musica gens ad numeros chord :  
 Nupsit Cæcilia , & Valerianum  
 Christo parturiens , funere nobili  
 Vitæ redonavit , beati  
 Perpetuum comitem triumphî.

## PASCHALIS ANTIPHONÆ PARAPHRASIS

AD REL. V.

D. J. B. PELLOT CARTUSIANUM.

## O D E I X.

**L**UCIDI regina potens Olympi :  
 Cui dies puros famulante curru  
 Sol agit , noctem rutilisque pingunt  
 Sidera flammis :  
 Pectoris curas , age , pelle tristes ,  
 Heu ! nimis longo saturata luctu :  
 Terge manantes lacrymis ocellos ,  
 Oraque virgo.

*Regina cœli.**Latine.*

*Alleluia.*

Nunc sonent plausus, tenerisque amicum  
Gaudiis carmen, citharæque dulces;  
Nunc superfuso tibi corda inundet  
Amne voluptas.

*Quia quem me-  
tristi portare:  
Alleluia.*

Ille, qui rerum genitus parente  
Se tuam gaudet sobolem vocari,  
Morte io! pulsâ redit ad beatæ  
Lumina vitæ.

*Resurrexit*

Ille ferali trabe quem reflexum  
Sub cavo condi moribunda saxo  
Videras, io! domito reportat  
Dite triumphum.

*Sicut dixit,  
Alleluia.*

Cerne, regali trabea renidens  
Fulgure ut transit Zephyros curuli;  
Seque miraclo probat esse vatem  
Judice verum.

*Ora pro nobis.  
Alleluia.*

I, pete amplexus, licitoque amanti  
Mater indulge. Sed enim tuorum  
Sis memor, nec jam miseros clientes  
Despice felix.

PROSA PASCHALIS, VERSIBUS REDDITA.

A D C. V.

JACOBUM GAUDINUM  
DOCTOREM ET SOCIUM SORBONICUM,  
CANONICUM PARISIENSEM.

ODE X.

*Victima paschali  
laudes immolent  
Christiani.*

**M**UNDI victima quæ nefas,  
Fortis pro misera gente necem pati